

*Eo quod maneat in æternum,
intransgressibile habet sacerdotium.*

Lectio Epistolæ ad Hebræos

7, 23-28

Fratres:

- ²³ **P**lures facti sunt sacerdotes [prióris Testaménti],
idcirco quod morte prohibebántur permanére;
²⁴ hic autem eo quod manet in ætérnum,
intransgressibile habet sacerdotium;
²⁵ unde et salváre in perpétuum potest
accedéntes per semetípsum ad Deum,
semper vivens ad interpellándum pro eis.
- ²⁶ Talis enim et decébat ut nobis esset pón tifex,
sanctus, ínnocens, impollú tus,
segregátus a peccatóribus et excélsior cælis factus;
²⁷ qui non habet necessitátem cotídie,
quemádmó dum pontífices,
prius pro suis delíctis hóstias offérre,
deínde pro pópuli;
hoc enim fecit semel semetípsum offeréndo.
- ²⁸ Lex enim hómines constitúit pontífices
infirmítatem habéntes;
sermo autem iuris iurá ndi, quod post legem est,
Fílium in ætérnum consummátum.

Verbum Dómini.